

UM
RUM
E
EINZIA
UM



DIVITIARUM
EVANGELICARUM
FESTIVALIUM

Disquisitio XX

PRÆSIDE

CHRISTIANO GUEINZIO

Gymnafii Hallenfis

Reftore

Respondente

TILEMANNO BENCKERO

Hallenfi Sax.

In Fefto Visitationis Mariæ.

A. O. R. cl. l. c. II.


HALLIS SAXONUM

Prelo Hæredum Melchioris

Oelſchlegell.

EVANGELIUM
MARTII
FESTIVUM
S
CHRISTIANO
TILMANNO
HALLERSTADT





ANALYSIS
EVANGELII
 IN FESTO VISITATIONIS
 MARIÆ

Luc. 1. à v. 39. usq; ad 57.

PRÆNOTAMENTUM.



Ecinit Zacharias Luc.
 1.68. *Benedictus Dominus Deus*
Israel, quia visitavit & fecit re-
demtionem populo suo. Benedi-
ctus Deus dicitur, ob visitationem. Et sanè
visitavit, dum fecit redemptionem, Filium
mittendo suum; visitavit, dum Spiritus San-
ctus restatus operationem, implendo suos xæ-
ριομασι, quos visitavit conveniendo, &
quasi colligendo, quos peculiariter ad visita-
tionem destinavit: ut merito Festum visitati-
onis dicatur. Visitat & Maria Elisabetham

Le

visitat

visitat & Christus Johannem, in Matris adhuc
 utero latitantem. Quomodo id factum, uberius
 exhibetur in Evangelio.

THESIS I.

In quo partim est Mariæ peregrinatio,
 in qua occurrit factum, quoad Mariam, ubi
 ejusdem notanda est diligentia præstatio
 v. 38. in quo antecedens, ubi materia, quo-
 ad prædicatum ab effectu: surrexit autem.
 Postquam enim à Gabriele Angelo audierat
 fore, ut sit mater Domini, & ubi admirata,
 dum virum non cognosceret. Luc. 1, 34. con-
 firmata per Angelum etiam Elisabetham ste-
 rilem esse gravidam, post discessum Gabrielis
 ad visitandum & explorandum, prout Ange-
 lus prædixerat v. 29. surrexit. Ut discamus
 non quidem signum à Deo postulare, sed datum
 grato animo acceptare, & propterea ad explo-
 randum properare nos debere.

2. Quoad subjectum: Maria. Cujus
 appellatio quidem amara, sed tamen gratiosa.
 Unde etiam à Deo ipso ad officium hoc electa.
 Ut discamus Deum amara edulcorare posse.

3. Et circumstantia; in diebus illis.
 Id est, ubi Angelus ipsam inviserat & conce-
 ptionem Messiaë annuntiaverat, statim à salu-
 tati-

455

ratione, secundum Origenem, Ambrosium
& Bedam, abiit ad cognatam.

4. Consequens, continet effectum
amplificatum per modum: profecta est. *An
sola vel cum comite non legitur, inter improba-
bile videtur, comitem habuisse. Abiit a. ut visi-
taret cognatam, non voluptatis causa, sed ex
singulari studio declaranda benevolentia; ut
ipsi inserviret. Nec officiosa fuit modo, sed
religiosa, ejusque peculiari Spiritus Sancti impul-
su facta visitatio, nimirum ut de hoc pietatis
mysterio, eum Elisabetha cognata conferret.
Ut discamus, in rebus arduis adire cognatos
eosque audire. Unde Ambrosius in hunc lo-
cum: Angelus cum abscondita annuntiaret, ut
fides adstrueretur Maria exemplo herilis foe-
mine non quasi incredula de oraculo, nec quasi
incerta denuncio, nec quasi dubitans de exem-
plo, sed quasi leta pro voto, religiosa pro officio,
festina pro gaudio, in montana perrexit.*

5. Et per terminum generalem;
in montana. *Altius sita Hebron erat, non
enim petiit Hierosolymam, dum in tribu Ben-
jamin, non in tribu Juda sita fuit. Ut disca-
mus, sicut Beda loquitur, quod omnis anima,*

qua verbum Dei mente concepit, ad virtutum
statim celsa cacumina gressu confendat amoris
Et Augustinus ait: Perfecit amor ad res
transcendendas, & spinosa seculi, & super cœ-
lestem inhabitationem vidit intentionem in-
mentibus sacris, periculum in vallibus.

6. Terminum specialem, quoad
modum: cum festinatione. Cupida, ut Syrus
notat, & studiosa rei, qua ei cura erat; Non
moras traxit in itinere, sed celeriter progressa.
Ut discamus non standum esse in viis Domini,
sed pergendum festinanter, currendum, non
otia dum. Vnde inquit Ambrosius in libro
de Abram c. 5. uberiores fructus habet celera-
ta devotio. Sic Abram, inquit Origenes
hom. 4. currit, uxor festinat, puer accelerat,
nullus piger est in domo sapientis. Discite ergo
virgines, non demorari in plateis ait Ambro-
sius de virginitate, non alios in publico mi-
scere sermones. Maria in domo sola, festinat
in publico, & sic corpus volabat pro letitia.
Quippe nescit Spiritus Sancti gratia tarda
molimina.

7. Et quoad locum: in civitatem
juda. Ideoq; non Hierusalem fuit, sed uti di-
ctum, Hebron, cum Jud. 21. 13. describantur

civitates, quæ in tribu Juda, filiis Aaron attributa fuerint. Atq; in eo loco Abraham accepit promissionem, de semine benedicto Gen. 12, 15. in eo loco Filiû Dei excepit hospitio Gen. 18, 3. Satis verò longum iter fuit, à Nazareth, in domum Zachariae, fere 24. milliarium. Ut discamus humilitatem: Venit enim propinqua ad proximam, junior ad seniore, superior ad inferiorem, Maria ad Elisabetham, Christus ad Johannem, uti ait Origenes in hunc locum.

8. Et Mariae salutatio. v. 40. in quo proponitur motus, respectu loci: & ingressa in domum Zachariae. Non ergo in aliam, sed in cognatam domum, ubi ejus maritus habitabat. Ut discamus honorificentius esse nominari ades à viris, quàm à mulieribus.

9. Respectu modi: salutavit Elisabetham. Ut doceret quo juvenis reverentiam habeat senioribus. Decet aliàs fideles ut sese saluent invicem. Rom. 16. 16. cum salutatio nihil aliud sit quàm efficax quedam precatio. Salutavit verò non Zachariam, sed Elisabetham quia Zacharias mutus & virginitati convenit magis ut Gynecium aseat, quàm viros appellet.

10. Quoad Elisabetham, ubi embryonia

bryonis exsultatio v. 41. in quo efficiens causa; & factum est, cum audiret Elisabetha salutationem Mariæ. *Non quasi Maria ipsa hoc fecerit, per se, sed per eum, qui utramq; visitavit, ut sit temporis denotatio potius quam ipsius operatio. In signum, quod piorum vota non sint frustranea.*

II. Et forma, per motum corporalem in masculo: Ut exsultaret fœtus in utero ejus. *Protinus enim Elisabetha tota immutata, & quasi alia facta, sentiens motus in corpore, & in mente, qui quidem non fuit naturalis, uti quidam volunt, sed cœlestis, dum adhuc in utero existit, dum prior quam mater repleta: siquidem Johannes suo gaudio replevit & excitavit matrem. Vocem quidem prior audivit Elisabetha, sed Johannes prior gratiam sensit, ait Ambrosius; qui & rectè dicit: Exsultatio divinitus facta est in infante, non humanitus ab infante. Vti & Augustinus Epist. 57. ad Dardanum pluribus declarat. Ut discamus, licet pueri destituantur rationis usu, fidem nihilominus operante Spiritu Sancto eos habere posse.*

12. Et per motum spirituales in fœmina: & repleta est spiritu sancto Elisabetha. *Johannes prius exsultavit, deinde*

inde mater, Johannes enim nobilior erat
matre, quia futurus erat praecursor, ait
Ambrosius. Ut discamus dona Spiritus
Sancti ad certas personas alligata non esse. Ope-
ratur enim in omnibus, qui Deo obediunt, sive
viri sint, sive mulieres, non enim est persona-
rum acceptor Deus. Act. 10, 25.

13. Tum colloquium, ubi contine-
tur Mariae encomium, cuius est celebratio
v. 42. in quo modus in genere: Et exclama-
vit voce magna, & dixit. Dum repleta
Spiritu Sancto, quia magnalia vidit, quia ha-
buit magnam vocem in utero Joh. 1, 23. neque
Dei opera occultari, sed potius publicari vo-
lunt, indiciumque est boni spiritus patere, non
latere.

14. In specie effectus illustratus ob-
jecto, quoad formam seu objectum femi-
nam: Benedicte tu inter mulieres. Quasi
diceret: Cognata suavissima, nunc impleta
est promissio Iehova, nunc venit in mundum
semen benedictum; tu es benedicta illa, in ma-
trem Domini electa. Sicque iisdem verbis, qui-
bus Angelus usus erat, eam salutat, quaeque
sola gratiam consecuta, quam nulla alia meru-
erat, ut gratia repleretur autore, ait Ambro-
sius. Ut discamus iis honoribus honorare a-
liquem, quibus honorat ipsum Deus.

Ll 4

15. Quoad

15. Quoad fructum seu masculinum;
Et benedictus fructus ventris tui. *Vt ostendat causam, quare sit benedicta, quia mater Domini: eoq; ipso confitetur, quod Christus sit verus homo; fructusq; est generosissimus, deliciosissimus, virtuosissimus, sine quo non est salus* Act. 4, 12. *Vt discam q; Mariam benedicta propter semen benedictum non adorandam esse, sed honorandam.*

16. Et ejusdem visitatio v. 43. in quo in genere interrogatio. Et unde hoc mihi? *Quasi dicat, quo jure, qua justitia, vel quibus meritis accidit, ut sterili fecunda appropinquet, ut, quod vetula virgo. Id quod cu; a nemine audivisset, nec oculis didicisset, nec conceptionis signa in Maria apparerent, a Spiritu Sancto didicisse constat.*

17. In specie, ratio: ut venit Mater Domini mei ad me. *Agnoscit enim tenuitatem suam; & propterea eo magis admiratur & matrem, & Dominum ad se venire, quo ipso Divinitatem ejusdem contestatur. Vt discamus honorare digniores, & eos etiam libenter excipere.*

18. Et de Christo testimonium, ubi ab effectu insolito de infantis subsaltatione arrestatio, v. 44. in quo præmittitur particula

cula attentionis: & ecce. *Tanquam peculiaris* cuiusdam rei indicium. *Nunquam enim illa vox in sacris otiose ponitur, sed ubiq³ attendendum esse & observandum singulare quippiam, notat.*

19. Et subjicitur tum tempus: cum facta est vox salutationis tuæ in aures meas. *Hoc est quàm primum audivi tuum alloquium & salutationis officium. Ut discamus libenter salutare.*

20. Tum eventus: exultavit præ gaudio infans in utero meo. *Confirmat factum verbis propriis quia miraculum intellexit, quippe Elisabetha, quid illa infans exultatio in utero sibi vellet, quod præ gaudio subsilierit, notavit, ut qui futurus erat præcursor Domini. Ut discamus Christi gloriam & majestatem etiam infantes in utero loqui. Unde Niceph. l. 1. c. 8. famulus in utero conclusus Domino, qui & ipse in utero gestabatur, debitum adorationis honorem supra naturam captum vaticinatur. Et quia lingua non poterat, animo exultanti Salvatorem salutavit, & præcursoris officium inchoavit, habet Glossa.*

21. Et promissorum confirmatio. v. 45. in quo attestatio; & beata, quæ credidisti. *Non ergo benedictam per se, sed benedictam*

dictam per fidem asseverat, non quia genuit, sed quia credidit beata appellatur. Unde Augustinus, quamvis Maria præ omnibus mulieribus sit honorata; non tamen est aliter, quam per fidem salvata. Cogitaverat quippe de mariti sui Zachariae hesitatione, qui erepro usu lingue multatus erat. Ut discamus, eum beatum, qui credit.

22. Et à certitudine promissionum ratio: quoniam perficienturea, quæ dicta sunt tibi à Domino. Intelligit quæ Gabriel de officio, persona, & regno Christi prædixerat. Ita fides apprehendit promissionem in presenti ac de certo statu ad futuram & perfectam consummationem eorum, quæ promissa sunt applicat. Ut discamus, solam fidem miracula præstare inter homines.

23. Et Mariæ cantatio, in qua partim declarat lætitiā, ubi est animæ magnificentis declaratio, v. 46. in quo efficiens causa: & ait Maria. Quoniam per hanc Elisabethæ concionem plurimum confirmata erat in fide sua, propterea gratitudinem declarare voluit, ex abundantia quippe cordis os loquitur Matth. 12, 34.

24. Et forma quoad modum & objectum: Magnificat anima mea Dominum.
Imi-

Imitatur Maria exemplum piarum in Veteri Testamento matronarū, quae singularia beneficia Dei certis carminibus in modum cantici complexae sunt. Miriam Exod. 15. 20. Debora Jud. 5, 1. Hanna 1. Sam. 2, 1. Et dum animam nominat intellectum notat; dum ait magnificat, manifestationem & gloriam Dei annuntiat & celebrat. Non quidem absolute, quasi Deus major fieri possit, sed manifestative, & non realiter, sed verbaliter ejus magnitudinem patefaciendo. Et quidem Dominum hoc est Deum. Vt discamus, eque Deum magnificare & celebrare. Inde Bonaventura notat in hunc locum: Anima Deum magnificat, quando seipsam sub ipso captivat & humiliat

25. Et spiritus exultatio v. 47. in quo partim effectus, quoad praedicatum; Et exultavit. Non simpliciter, sed plane singulariter, velut eorum solet, qui externis gestibus & tripudiis gaudium ostendunt, quiq; ex carcere quasi liberantur. Vt discamus etiam gaudere & latari, non semper tristari.

26. Quoad subjectum, spiritus meus. Seu affectus, uti enim in precedenti versu in genere de anima, & potissimum de intellectu dixit, ita in hoc de voluntate & affectu in specie: Et ita alias etiam loquitur scriptura in Psalmis.

mis. Ut discamus plenius gaudium esse spirituale, ubi omnia quæ intra sunt, uti habetur Ps. 16, 21. gaudere debent.

27. Et objectum sive materiam gaudii: in Deo salutari meo. Significat enim prepositio *In hoc est ipsum*, ut qui est Deus noster ratione, creationis, & Salvator noster ratione applicationis, qui liberat, qui custodit & perpetua salutis autor est. Ut discamus in Deo gaudere, quia, quod habet Augustinus in Ps. 94. exultatio mala est exultare seculo; exultatio bona est, exultare Deo. Et serm. 2. de assumptione Mariæ: Signanter addidit virgo gloriosa, in Deo salutari meo, ac si diceret, anima mea, qua magnificat Dominum, non in qualibet alio, sed in illo tantum exultat, quem amando significat. Quin si attentius intuemur, in Jesu exultare voluit, quod enim Ebraicè *Jesus* hoc Latine salutare est.

28. Et enumerat beneficia, quorum alia sunt singularia seu personalia, & est Mariæ admiranda exaltatio. v. 38. in quo quoad Deum respectu effecti: quia respexit. Hoc est gratiosè, uti de fortuna dicitur quotiescunq; favet. Et est phrasis Ebraea, quæ Dei favorem exprimit. Ps. 3, 14. Ps. 13, 8. Es. 66, 2. 2. Sam. 16, 12. Ut discamus Deum etiam
quam

quamvis interdum indignetur, tamen respicere, uti habetur Ps. 113, 5. & Ps. 138, 6.

29. Et respectu objecti: humilitatem ancillæ suæ. Vti etiam Hanna loquitur 1 Reg. 1, 1. & c. 9, 16. per quod vocabulum status miser & abiectus intelligitur. At nunc gratiose electa, ut esset mater filii Dei. Inde Augustinus serm. 2. de assumptione clamat: O beata humilitas, quæ dum hominem peperit, vitam mortalibus edidit, cælos innovavit, mundum purificavit, paradysum aperuit. Quemadmodum etiam id prædictum Es. 11, 1. quod non ex procera & vegeta arbore futura sit virgo prægnans, sed ex trunco succiso, uti habetur in fontibus, & ex radicibus, quæ sub terra inconspicua jacent; ut sensus sit, cum aliæ essent virgines nobiles & præstantiores, Deus tamen illis præteritis contemptam pauperem & miseram respexit, qualis erat tempore exhibitæ Messia, exilitas familiae Davidis. Ut discamus nos humiliare, quia gloriam præcedit humilitas Prov. 15. v. ultimo. humilibus etiam Deus dat gratiam 1. Pet. 5, 5. si vis ergo exaltari, humiliare prius.

30. Quoad homines ubi particula attentionis præmittitur: ecce enim. Ut ostendatur hoc peculiare in Maria observandum & notandum esse.

31. Et exponitur, quoad prædicatum: ex hoc nunc beatam me dicent. *Mutuata est Maria ex cap. Gen. 30. 13. verba ista: Siquidem magnum erat desiderium prolis, propter promissionem Messie. Cum ergo tanta gratia ipsam complexus Deus, ut esset mater Domini merito beata appellatur, quod genuisset vitam mortuis, gratiam peccatoribus, & gloriam miseris, uti etiam factum est Luc. 1, 45. & antea ab Elisabetha. Ut discamus non vituperare, sed honorare, non autem adorare Mariam.*

32. Quoad subiectum: omnes generationes. *Hoc est omnium futurarum, etatum seu seculorum homines, non tantum electi, sed quicumq;, quibus ipse filius Dei innotescet. Neq;, invenitur locus, ex quo colligi possit, quod Iudei ipsam contumeliosè appellarent; multi celebrarunt, ut Simeon, Elisabeth, Hanna, mulier de turba Luc. 11, 22. Et Turca in Alcorano honorificam eius facit mentionem Sibylla Erythraea l. 3. & l. 8.*

33. Et magnalium operatio. v. 39. in quo iterum prædicatum ab effectu & objecto: quia fecit mihi magna. *Magnum certè erat quod Maria nata ex stirpe Regia, quod ex obumbratione Spiritus Sancti gravida,*
quod

quod sine lesione virginitatis puerpera: ista omnia magna erant opera Domini: quae Syrus reddidit voce geminata quasi valde magnifica. Vt discamus Deum solum magnalia prestare posse, & plerumq; solere per contempta in mundo organa. Sic Mosis baculus erat lignum & tamen miracula per ipsum sunt edita. Tuba sacerdotum per se carebant omni efficacia, & tamen ad eorum sonitum muri Hierichonis conciderunt. Hydria Gideonis nullas in se continebant vires, & nihilominus eorum fractio turbabat totum exercitum Midianitarum.

34. Et subiectum sive causa, ratione potentiae: qui potens est. Infinito modo & immenso: rem enim miram inauditam & universe naturae impossibilem operatus est ille potens, apud quem non est impossibile ullum verbum Luc. 1,37. Vt discamus solum Deum talia prestare posse.

35. Ratione sanctimoniae: & Sanctum nomen eius. Per quam formulam denotatur Majestas Dei. Vt discamus esse laudandas creaturas, quo gratia & potentia Dei in ipsorum infirmitate & sanctitate agnoscat & celebretur. Quando enim in verbis & operibus sese manifestat, tum sanctum nomen Iehovae dicitur.

36. Be-

36. Beneficia universalia, quæ con-
 junctim omnibus exhibentur, est Dei com-
 miseration v. 50. in quo beneficium: & mise-
 ricordia ejus. *Ut qui misericors* Exod. 34. 6.
 & *Sic. 2, 21. quem etiam commendat Zacha-*
rias Luc. 2, 78. *Jer 31, 70. Ut discamus omnia*
beneficia promanare ex Dei misericordia.

37. Et objectum, ubi additur, termi-
 nus: in progeniem & progeniem. *Hoc est*
non particularis est misericordia, sed univer-
salis. Ut qui est clemens, patiens, & multa
miserationis Exod. 34, 6. *in perpetuum* El. 54,
 8. *per continuatam successionem generationem*
in seculum seculi intelligit. Pl. 72, 5. & Eph. 3,
 21. *Syrus reddidit duabus distinctis vocabulis*
in etates & generationes, quod Deus in tanta
mundi ingratitude omnibus seculis ex mera
misericordia gratiam suam offerat, etiam du-
raturam in eternum, uti Theophylactus in-
terpretatur. Ut discamus Dei misericordi-
am infinitam, quo simus & nos misericordes in
omnes.

38. Et subjicitur objectum: timen-
 tibus eum. *Exhibetur quidem & offertur*
omnibus misericordia, sed non excipitur ab
omnibus. Ideoq, in iis exercetur, qui timeant
Dominum. Unde Bernhardus serm. 54. in
 canti-

canticum: in veritate didici, nihil aequè effi-
 cax esse, ad gratiam promerendam, retinen-
 dam, conservandā, recuperandam, quam si o-
 mni tempore coram Deo inveniaris, non altum
 sapere, sed timere; Nam qui obstinati sunt, in-
 credulitatis vitio claudunt sibi januam pieta-
 tis. Vt discamus timere Deum, si velimus mi-
 sericordiae beneficium.

39. Et ab hostibus liberatio v. 51,
 in quo in genere, per effectum & modum:
 fecit potentiam in brachio suo. Quae verba
 petita sunt ex cap. Es. 59, 16. generaliterq; in-
 telligi possunt, de liberatione. Syrus reddidit
 fecit victoriam, per brachium hoc est per Fi-
 lium, uti habetur Es. 52, 10. per quem praestitit
 Pater caelestis robur eximium: ut sensus sit
 Messiam in conterendis hostibus praestitisse po-
 tentiam suam. Vt discamus, licet sint hostes ro-
 busti, tamen robustior est Dominus. Jactent
 illi sua brachia, nec Deo deest brachium forti-
 tudinis.

40. In specie ab objecto: dispersit
 superbos, mente cordis sui. Per quos pri-
 mariò intelligitur Diabolus, qui superbus est,
 ob praedam animarum & armaturam Luc. 11,
 21. Sed Messias vicit illum. Etiam intelligun-
 tur alij superbi, ut sunt tyranni, hostes Ecclesiae,

Mm

qui

qui per se quasi ex alto omnes despiciunt, quos Deus dissipat sicut paleas Pl. 1, 4. sicut petra comminuitur. Jerem. 13, 29 In eo omnem cogitationem superbam, intelligit Gregorius. Ut discamus Deum resistere superbis.

41. Distinctim, quodammodo sunt tum temporalia, per antithesin illustrata, & est tum exaltationis deturbatio v. 52. in quo indignatio: deturbavit potentes de sedibus. Vti exempla habentur in Antiocho magno 2. Maccab. 9, 2. in Pharaone Exod. 14, 28. in Belsazare. Dan. 5, 20. quos de thronis subvertit, uti habet Syrus: sic pravos spiritus, inquit Macarius, qui in corpore nostro sedem fixerant ejecit è sedibus mentium atq; cogitationum. Ut discamus arrogantiam fugere.

42. Et miserorum commiseratio: & exaltavit humiles. Non enim multos potentes & nobiles elegit Deus, sed stulti & infirma mundi 1. Cor. 1, 26. qui sunt viles & abiecti, uti etiam vox *καρεινός* apud Demosthenem reperitur in Philippica tertia. Ut discamus Deum humilia respicere Pl. 138. Es. 60. Inde Isidorus habet: quanto vilior quis in oculis propriis fuerit, tanto sublimior in oculis Dei. Sic gratiam invenit Davidi, Sam. 16, 22. sic Esther Esth. 2, 17.

43. Et

43. Et ditationis ratio v. 53. in quo de pauperibus: Esurientes implevit bonis. Sive intelligantur pauperes temporaliter, siquidem etiam temporalia bona à salvatoris manu accipimus, 1. Cor. 4, 7. sive spiritualiter, qui esuriunt justitiam ac Dei misericordiam Matth. 5, 6. Hi omnes implentur bonis: Nam ut ipse plenus Spiritu Sancto, quem accepit sine mensura Joh. 3, 34. Sic etiam ex eius plenitudine accipiunt gratiam pro gratia Joh. 5, 16. Et saturantur Matth. 5, 6. Vt discamus Deum ditare.

44. De divitibus: Et divites dimisit inanes. Qui sibi imaginantur se esse tales Apoc. 3, 17. Et qui turgent opinione meriti, illi relinquuntur inanes, ut si divitiis fidant, qua possunt auferri per tineas Luc. 13, 33. alia auferuntur per militem Deut. 28, 31. per plagarum aliarum congeriem Amos. 4, 7. Sint etiã qui opinionibus confidant: qui enim putat se habere aliquid, auferetur ab eo. Luc. 8, 18. Vt discamus in Dei domo Et Oeconomia longè aliter se habere, quàm in mundo. Divites egent in Ecclesia. Et pauperes abundant, esurientes saturantur, Et saturati esuriunt. Quin Et Deus neminem deserit in paupertate, neminem amat propter divitias.

Mm 2

45. Tam

45. Tum spiritualia, ubi gratias agit pro beneficiis collatis, & est Ecclesiae congregatio v. 54. in quo forma: suscepit Israel puerum suum. *Id est succurrit seu opitulatus est, uti interpretatur Syrus, quomodo vox Graeca etiam usurpatur 1. Cor. 12, 20. Et per Israellem puerum, intelligitur secundum Ebraismum ser v 9 seu omnes homines. Videbatur quidem Dominus deseruisse populum suum, sed videns lapsum quasi porrecta manu succurrens sustentat. Ut discamus Deum succurrere omnibus in ipsum intuentibus atq; credentibus, uti habet Basilius. Illi enim sunt populus eius & oves pascuae eius.*

46. Et finalis causa: ut memor esset misericordiae suae. *Fons enim & origo huius beneficii est recordatio promissionum & misericordiae. Ut discamus Deum Ecclesiam non deserere, sed eiusdem misereri. Vegetam quippe habet memoriam. servat quod promisit, implet quod praedixit.*

47. Et promissionum consummatio v. 55. in quo in genere: Sicut locutus est ad patres nostros. *Deus enim non obliviscitur promissionum suarum, quas non ad tempus, sed in secula spondet, uti habetur Ps. 89, 3. respexitq; ad omnes promissiones, quae loquuntur*

loquuntur de reparatione populi Israel. Jer. 23.
3. & cap. 33. 6. *Ut discamus Deum esse vera-*
cem, & promissorum exhibitorum Act. 3, 18.

48. In specie : Abraham & semini
eij in æternum. *Vbi verbum ἐλάλησε vel lo-*
cutus utramq; constructionem respicit, & accu-
sativi cum præpositione, & Dativi. Syrus verò
singulis addidit præpositionem, qualis constru-
ctio etiam extat Ps. 105, 18. Explicat autem hic
quos patres intelligat, quibus data sunt promif-
siones. Non tamen tantum de carnali semine
intelligendum, sed imprimis de spirituali, uti
explicat Paulus Rom. 9, 7. qui incedunt in ve-
stigiis viae Abrahæ, Rom. 4, 16. Gal. 3, 7. Ut
discamus misericordiam Dei esse in seculum,
seculi Ps. 81, 19. in perpetuum Jer. 31, 3. Verbum
etiam Domini manet in æternum Luc. 21, 33.


49. Et conversatio, v. 56. in quo de-
scribitur effectus, ubi tempus : *Mansit au-*
tem Maria, cum ipsa quasi menses tres. Ut
matronam, & ætate gravem & focu gravidam
colloquii & obsequiis suis sublevaret. Ut disca-
m9 juniorum esse officium in servire seniorib9.

50. Et abitus : & reversa est in do-
mum suam. *Post tertium enim illum mensem*
à sexto prius exacto, tempus parienti Elisabe-
thæ instabat : ideoq; noluit virgo prædica inter-

Mm 3

esse

cum magna frequentia vicinarum confluxura esset. Neq₃ post partum Elisabetha Lucas facit mentionem Virginis, ut aliarum vicinarum: quia dicitur quod quasi tribus mensibus manserit; ideoq₃ partui non interfuit, uti monet Theoph. & Euthymius. Quāvis Origines & Ambrosius contrarium velint. Rediitq₃ ita in domum suam, id est Nazaretham, uti supra v. 36. notata fuit. Ut discamus absoluta expeditione redire ad debita loca.



N O T A E.

I.

A Biit cum festinatione) Considera ardentem fervorem Mariae, quae voluit explorare annunciatum de Elisabetha; ut discas, non morari in divinis, sed pro peregrinis pergere.

U Nde hoc mihi] Considera Elisabethae admirationem propter matrem Domini adventantem; ut discas multo magis mirari, si Dominus etiam ad te veniat.

M Agnificat anima mea) Considera Mariam Deo laudem tribuere propter beneficia; ut discas, aequè laudem Deo tribuere, qui te multis affecit.

CASUS

CASUS.

An ancillæ nomen vile?

Videtur 1. quia sunt viles, etiam in sacris literis Exod. 21, 8. dum manu mittuntur ut servi.

2. Juxta jura l. 15, §. 15. ff. de injur. ubi dicitur: Si q̄s virgines appellasset, si tamē ancillari veste vestitas, min⁹ peccare videtur.

3. Distinctio tollitur inter virginem & ancillam.

Contra 1. Maria se vocat ancillam, & tamen virgo est, & mater Domini, benedicta inter mulieres Luc. 1, 42.

2. Jura appellant virgines l. alioquin ff. de Contrahen. emptione. Quod si ego me virginē emere putarem, quæ esset mulier, emptio non valebit, quæ autem se emissa, est ancilla.

3. Monachi servis non absimiles cum pro mortuis habeantur c. placuit c. sunt nonnulli 16. q. 1. arg. l. quod attinet ff. de R. I. Ergo Nonnæ sunt ancillis similes, etiamsi sint virgines.

4. Quæ puella nondum passa virum, est virgo. Ita Thom. 2, 2. §. 152. & Plaut⁹ ex-
pres-

pressè nominat in *Menechmis*, Terentius Pamphilam ancillam virginem vocat Eun. act. 2. scen. 2. Unde & Justinianus Imperator se servum nominat in l. i. C. de præfect prætor. Christus ipse Phil. 2, 17. Apostolus Rom. 1, 1. Phil. 1, 1. Sunt etiam liberi servi Athen. lib. 6.

Ad contraria 1. fall. cause; vilitas non tollit virginitatem, sed impudicitia.

Ad 2 Fall. cons. Hic sumitur virgo pro virgine libera; mancipia enim, quum civiles personæ non erant, omnia illa, quæ naturaliter cum liberis personis habet communia & honestatem quandam laudemve præ se ferebant, in liberis magis conspiciantur, & denominabantur. quàm in servis. Alias sunt æquæ, quia est naturalis qualitas servum esse.

Ad 3. fall. cons. Non tollitur, quia distinguendum inter vocem virginis, quæ vox interdum statum & ita civilem denotat, interdum sexus qualitatem pro puella grandi intacta, & quæ virum nondum passum, ut Cicero loquitur: Videat. Jacob. Martini cent. 6, disp. 1. q. 8.



Non sedet in *scamno* postremo, quisquis
adorat

Supplice voce Deum, carmen eiq; canit.
Sic surgit properatq; Maria diebus in illis
Judæ per montes, urbis aditq; locum.

Intravitq; domū Zachariæ prompta prophe-
Ac Elisabethā vocis honore beat. (tæ

Audiit ut vocem salis sub sula pectora fecit
Infans, ipsa simul flamine plena sacro.

Hinc exclamavit: næ tu benedicta Maria!

Næ benedictus & est fructus ad usq; tuus.
Unde sed hoc mihi? successisti sedib⁹ hospes

Nostris cur Domini mater honora mei?
Vox ubi facta fuit salis sub sulgo embryo saltat

Ventre meo Dominū sentit adesse suum.
Euge beata quod id voluisti credere, quippe

Omnia perficiet, quæ tibi dicta, Deus.
Inde Maria tumens divino numine dixit:

*Magnificat Dominū mens animusq; meū,
Spiritus ac exultavit meus, ipse in arsit*

*Totus: namq; salus est mea sola Deus,
Ancillamq; suam respexit: Et inde beatam*


*Me dicent, talem secla futura canent
Nam mihi magna potens fecit, divinaq; fecit*

Ac ejus sanctum nomen ubique cluit.

Qui

*Qui de progenie subolē miseretur in omnem,
 Sit modo qua timeat, qua veneretur Eum.
 Praestitit & robur per brachia quādo superbos
 Dispersit, quorum cor animusq; tumet.
 Deposuit jecitq; simul de sede potentes,
 Exaltavit humi quos jacuisse patet.
 Esuries quos vexat, eos implere paratus
 Sponte bonis, ut sit dives inanis agit.
 Israëla suum puerum suscepit, ut esset
 Vsq; memor si dei, quam dedit ipse, suæ.
 Ad patres nostros quondam velut ipse locutus
 Est Abrahamo. progenieiq; prius.
 Ast inibi mansit per menstrua trina Maria
 In patriam posthac cursyabitq; domum.
 Talis BENCKERUS proponit. Pergat! habere
 In scann. debet nobiliore locum.*

optat *GUENZIUS.*



S Drecht mein ander ich schwing also deine sinnen
 Und feurvollen Geist / bis auff des Pindus zinnen /
 Brich durch Hypollo krafft / die fast gebrochne bahn
 Minerva gib verstande / und sey hic selber dran.
 Laß dich nur schrecken nicht des grausam hundesbellen
 Des starcken Cerberus in Nultons schwarzer hellen.
 Nur schwinde deinen Sinn hin auff die Geistigkeit
 Er gib dadurch dein lob der armen Ewigkeit
 Noch bey ga. iungen fahren: und fahr fort obzuliegen
 Den künsten / bis dein witz den Helicon erstiegen
 Nach weiter dich berühmt / gib deinen witz her für
 So wird man nennen dich des Vaterlandes zier.

wie wünschet setnem lieben Bruder in Wittenberg
 Johann Nicolaus Bencker
 der H. Schrifft geffiffener.

02 A 572
(1/2)

ULB Halle 3
003 808 483



1017


EVANG.

CHRIST

HALL

Q2 C





B.I.G.

Farbkarte #13

Blue	Blue
Cyan	Cyan
Green	Green
Yellow	Yellow
Red	Red
Magenta	Magenta
White	White
3/Color	3/Color
Black	Black

DIVITIARUM
 ANGELICARUM
 FESTIVALIUM

Disquisitio XX
 PRÆSIDE

TIANO GUEINZIO
 Gymnafii Hallenfis
 Reçtore

Respondente
 ANNO BENCKERO
 Hallenfis Sax.

ſto Viſitationis Mariæ.
 A. O. R. cl. l. c. II.

ALLIS SAXONUM
 o Heredum Melchioris
 Oelſchlegell.